


Brunet I, 611
" IV, 1254

64


1 fold. plate
30 engr. illust.

---

17 engr. plates
2 engr. illust.



CONSPECTVS
GAZOPHYLACII EBERMAYERIANI.



GEMMARVM AFFABRE SCVLPTARVM THESAVRVS

QVEM
SVIS SVMPTIBVS HAVD EXIGVIS
NEC PARVO STVDIO
COLLEGIT

IO. MART. AB EBERMAYER
NORIMBERGENSIS.


DIGESSIT ET RECENSVIT
IO. IACOBVS BAIERVS
PHILOS. ET MED. DOCTOR
HVIVSQVE IN ACAD. ALTORF. PROFESSOR
PRIMARIVS.

A. R. S. CIↃIↃCCXX.

PROSTANT EXEMPLARIA NORIMBERGAE
IN AEDIBVS EBERMAYERIANIS.



Ex Libris Charles Martine



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
LVDOVICO
RVDOLPHO
BRVNSVICENSIVM
ET
LVNEBVRGENSIVM
DVCI
DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO
VITAM ET FELICITATEM!



SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME,



EA est SERENITATIS TVAE benignitas, vt, licet excelso loco inter Imperii Germanici Proceres sis constitutus, licet Maximo CAESARI, aliisque Christiani Orbis REGIBVS potentissimis arcto propin-

pinquitatis & necessitudinis vinculo coniunctus, licet denique in rebus arduis & magnis iugiter versatus, demittere tamen TE subinde soleas ad bonarum liberaliumque Artium curiosam contemplationem. Harum alumnos & magistros haud dedignaris in conspectum TVVM gratiosissimum admittere, studia ipsorum exquirere, probare, quin etiam generosa plane munificentia iuuare. Inde autem fit, vt optimus quisque, cui tam benigni mores TVI sunt perspecti, excogitare & offerre aliquid contendat, quo tantum Principem sibi Mæcenatem conciliare possit. Ego certe, seruorum Tuorum infimus, tametsi nullam fortassis, quæ TIBI placere queat, egregiam artem ipsemet exercere valeam, pictoriæ tamen & sculpturæ admirator cultorque haud ignauus, exiguum hoc, qualiscunque mei Gemmarum artificiose sculptarum apparatus specimen TIBI dedicare tanto minus vereor, quanto magis ad hoc audendum me excitauit clementia TVA singularis, qua TE fauere isti studio meo coram non semel significasti. Neque etiam vel æquiorem vel sapientiorem huius operis iudicem atque Patronum me exoptare mihi posse arbitror, quam TE, DOMINE, qui talium in rerum exacta cognitione inter viuentes hodie Principes nemini es secundus. Accipe igitur serena fronte, DVX SERENISSIME, opellam tenuem, in signum demissæ venerationis ad pedes TVOS depositam, porro autem ingenuas Artes

præpotenti auctoritate TVA protege, benignitate & clementia prouehe atque conſtanter foue. Cæterum ego, qui TVAM erga me ſummam gratiam nulla vnquam ratione mereri potero, aſſiduis precibus & votis, pro ſalute TVA, CELSISSIMAEQVE DOMVS TVAE perpetua incolumitate & gloria, DEO immortali nuncupandis, quoad vixero, pietatem meam teſtabor,

SERENITATIS TVAE

ſeruus ſubiectiſſimus

Io. Mart. ab Ebermayer.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
IO. IACOBVS BAIERVS.



Ametſi ex omnibus eruditæ antiquitatis, *quæ ad noſtra tempora peruenerunt*, artificioſis ſpeciminibus *nihil non venerabile ac pretioſum exiſtimetur, aliqua tamen iſtarum rerum genera præ cæteris habere peculiares ſuos admiratores atque fautores, vtique certum eſt. Quosdam enim* vetera numiſmata *in primis delectant; aliis* antiquæ ſtatuæ & imagines, ex ære aut marmore effictæ, *magis arrident, alios denique* Gemmarum affabre ſculptarum aut cælatarum *pulchritudo & ſplendor alliciunt. Nimirum trahit ſua quemque voluptas, neque vlli deeſt optionis ſuæ ratio ac fundamentum. Ita* nummis antiquis *publica, qua cuſi plerique ſunt, autoritas, indeque capienda hiſtoriæ & chronologiæ documenta pretium dignitatemque conſtituunt:* Veteres *autem* marmoreas æneasue imagines & ſtatuas *accurata cum ipſis rebus, quas repræſentant, conuenientia & naturalis proportio commendat:* Gemmis *vero, præter colorum elegantiam atque nitorem, durabilis illa durities inſignem gratiam fœneratur. Et ſane, ad me quod attinet, ſicuti quemuis libenter patior abundare ſuo ſenſu, ita non diffiteor, quod, cum omnis generis antiquitatum ingenioſis operibus oblecter,* GEMMARVM *tamen* artificioſe ſculptarum *ſuauitate præ reliquis afficiar: Vnde haud difficulter impetrauit a me* Vir Nobil. Dn. Io. MART. AB EBERMAYER, *Ciuis Norimbergenſis & mercator primi ordinis ſpectatiſſimus, vt operam meam ipſi commodarem, in deſcribendo* Gemmarum apparatu *ſuo, qui talis profecto eſt, qualem apud priuatos homines non temere quæſiueris, nec facile inueneris. Siue enim numeri, ſiue pulchritudinis, formæ atque delectus habeatur ratio, plusquam vulgaria & ad-*

& admiratione digna heic ſunt omnia, vt aſſerere non verear, in compluribus elucere Praxiteliam manum atque ſolertiam, & incomparabile artificium. Præſagit equidem animus, non defore, qui haſce Ebermayerianas delicias *nil niſi noua veterum ſculpturarum imitamenta eſſe, & propterea exiguam commendationem mereri arbitrentur. Sciant autem iſti, fallere opinionem ſuam, cum reuera plures antiquæ inter eas gemmas exiſtant, reliquæ vero, quas pro recentioribus aut nuper effictis ipſimet vltro agnoſcimus ac venditamus, ita comparatæ ſint, vt cum optimis quibusque veteribus de artificii ac formæ præſtantia contendere queant: Neque enim ideo noſtras illas, quoniam nouæ, & ad imitationem vetuſtorum exemplarium ſculptæ ſunt, aſpernari magis conuenit, quam* Cauinianos & Parmeſanos nummos, *vtpote quos hoc ipſo potiſſimum nomine magnifieri conſtat, quod antiquitatis decus tam pulchre mentiantur. Id ſaltem doleo, tantis* Gemmarum noſtrarum *elegantiis accurate exprimendis ſæpius haud ſuffeciſſe vel reſpondiſſe chalcographorum induſtriam; quemadmodum non paucæ imagines in æs inciſæ iam fuerunt, antequam iis interpretandis animum calamumque impendere potuerim. Cæterum de ipſa interpretatione mea libere hoc profiteor, eam eſſe tumultuariam, inter multas ſcilicet occupationes variasque calamitates domeſticas peractam, hinc breuem & inconditam paſſim; quamuis ne ſic quidem me prorſus pœniteat laboris adhibiti, vt potius confidam, nonnulla deprehenſurum* Lectorem beneuolum, *quæ placere, & ad illuſtrationem harmonicam huius argumenti antiquitatum facere poſſint. Quare, niſi hæc ſpes me fruſtrabitur, operam dabo, vt* GAZOPHYLACII EBERMAYERIANI altera *etiam* ſeries, *longe plura diuerſi generis* Illuſtr. & Clar. hominum capita, nitidiſſime gemmis inſculpta *complectens, meliori ordine & accuratione diſpoſita, in conſpectum vſumque publicum propediem edatur. Vale!*

BRE-

TAB. I.



Sardius
I
Sardius
II.
Sardius
III
Sardius
IV
Sardius
V
Sardius
VI
Sard. Alb.
VII
Sard.
VIII.
Sard.
IX.
Sardius
X
Sard
XI
Achat. Niger.
XII
Sardius
XIII.
Sard.
XIV.
Sardius
XV.
Sard
XVI
Sardius
XVII
Sard.
XVIII
Ameth
XIX
Ameth.
XX
Sardius
XXI.
Ameth
XXII.
Sard
XXIII
Sard
XXIV
Achat.
XXV.

BREVIS EXPLICATIO GEMMARVM TAB. I DELINEATARVM.

I.


AETERNITAS: Figura muliebris ſedens, alterum pedem innixa ſcabello, manu ſiniſtra ſceptrum, dextra globum ſuſtinens, cui auis inſidet, notiſſimum *æternitatis* ſymbolum, Phænix nempe, non Pauo, ſicuti *Laur. Pignorius* in expoſ. menſæ Iſiacæ p. m. 24. perperam iudicauit de conſimili figura, nummo Fauſtinæ expreſſa. Cæterum ad noſtram ea proxime accedit, quam *Ioach. de Sandrart* in Iconolog. Deorum Tab. I. exhibuit.

II. AETERNITATIS imago alia, capite nudo, ſtans, itidem inſidentem orbi Phænicem dextra tenens, ſiniſtra veſtem colligens; qualis etiam in nummo quodam Fauſtinæ ſpectatur.

III. PROVIDENTIA DEORVM, matronæ habitu repræſentata, cuius ante pedes orbis iacet, in quem ipſa ſceptrum manu dextra inclinat, ſiniſtra vero haſtam tenet: Similem huic cernere licet in nummo Caracallæ.

IV. IVPITER, erecto corpore, cum haſta & fulmine complicato, qualis a *Leon. Auguſtino* Parte I. 106. ſardio pariter inſculptus, tum & paſſim in numiſmatibus occurrit, noſque prorſus ſimilem habemus in amethyſto. Videtur autem hic ſpeciatim deſignari IVPITER CVSTOS, cuiusmodi eſt a *Petro Bellorio* P. II. num. I. in lucerna antiqua notatus.

V. IVNO, & ſoror & coniux Iouis, capite velato, altera manu lanceam, altera tenens pateram; adſtat ipſi pauo, vtpote ſacrata & propria Deæ volucris. Conſimilem IVNONIS REGINAE formam oſtendunt numiſmata Fauſtinæ, Manliæ Scantillæ, Iuliæ Meſæ, &c.

VI. Apollo, cum Lyra ad ſolum demiſſa, Lauri ramulos dextra porrigens, quorum ſignificationem *Laur. Begerus* Theſ. Brand. Part. I. pag. 58. euoluit. Noſtratis gemmæ figuram ferme refert apud *Patinum* p. m. 340. nummus M. Aur. Claudii Quintilli, cum inſcr. APOLLINIS CONSERVATORIS.

VII. Minerva ſiue PALLAS galeata, haſtam præpilatam dextra, clypeum ſiniſtra gerens, frequenti admodum inter antiquitates ſimulacro, quod idem & in alia inter noſtras gemmas, achate nempe nigra, paulo grandius exprimitur.

VIII. Mercvrivs, cum caduceo, pacis & felicitatis ſigno, & crumena, cuius ſeorſim notionem *Begerus* l. c. Part. III. p. 139. ſcite explicat. Cæterum eadem propemodum imago itidem ſardæ inſculpta extat apud *L. Auguſtinum* P. I. 199. Neque multum differt ille *Mercurius*, quem Marcianopolitæ in nummo Macrini & Diadumeniani ſtatuerunt.

IX. Mercvrivs, arbori aſſidens, pede dextro inſiſtens ſcabello, manuque ſiniſtra caduceum attollens.

X. Mars haſtatus & galeam contemplans, ſicuti exiſtimat *Iac. Gronouius* in Gorl. Part. I. 68. *L. Auguſtinus* vero I. 164. eadem plane figura militem cum præmio, aut cuſtodem armorum indicari ſuſpicatur.

XI. Mars, a priori parum diſcrepans, niſi quod ad eius pedes clypeus & thorax militaris poſiti appareant: conf. *Gorlæi* P. I. 160. & II. 95.

XII. Bellona, galeata & loricata, manu dextra telum vibrans, ſiniſtra clypeum obtendens. Aliam eiusdem figuræ, ſed aliquando minoris moduli habemus inſculptam ſardio: conf. etiam *L. Auguſtin.* I. 131.

XIII. Victoria, qualis communiter fingitur, alata, lauream porrigens. Eiusdem figuram locupletiorem, cum palma ſcilicet, globo inſiſtentem videre licet inter lucernas

cernas a *Bellorio* defcriptas P. III. 3. & inter gemmas Thef. Brandenb. p. 63. Cum noftra autem plane conuenit, quæ ibidem p. 686. in nummo Pefcennii nigri confpicitur.

XIV. Venvs victrix, pilæ, an aræ? innixa, pofito in folum clypeo haftam gerens, galeamque fuftinens: fimilem omnino producit *L. Auguft.* I. 117.

XV. Tres gratiae, inuicem amplexæ; quarum tamen numero & forma, totidem potius Deas, Palladem videlicet, Iunonem ac Venerem indicari, caput alterius galeatum, & in manu alterius apparens pomum haud obfcure prodit, confirmante idem & rationem afferente *L. Auguftino* I. 144.

XVI. Bacchvm ipfum denotare hanc fculpturam, ferio quidem perhibuit ille, a quo gemmam accepimus; quare etiam hoc loco inter imagines Deorum collocata fuit. Verofimilius tamen apparet, quendam *Bacchi affeclam*, & fpeciatim *Tityrum* aliquem fignificari, ceu præter communem Bacchantibus pellem, tibiæ & faltationis geftus innuere videntur; ad quod ftatuendum Clar. *Begeri* P. III. p. 255. illuftratio veteris monumenti, confimilem figuram fiftentis, facile nos permouet.

XVII. Satvrnvs, fiue tempvs, affiqa ipfi antiquitus, vulgo nota figura viri fenis, incurui ac feffi, alis tamen præditi. Peculiare heic eft, nec vbiuis obuium, quod bidente Saturnus innitatur: Pedibus autem vinctum quare commemorent vetuftæ fabulæ, poft alios *L. Auguftinus* I. 105. edocet. Nos infuper aliam, fed maiufculam, eiusdem imaginis fculptæ Sardam poffidemus.

XVIII. Ianvs, bifrons, cum hafta fiue baculo & claue, quemadmodum ab *Ouidio* defcribitur:

Ille tenens dextra baculum, clauemque finiftra:

cuius conformem in gemma noftra ftatum ipfius ectypi afpectus contrarius luculenter oftendit.

XIX. Vvlcanvs, galeam forcipe apprehenfam malleo ad incudem tractans, quafi armis Achilli & Aeneæ

cudendis occupatus, ſicut ex *Homero* & *Virgilio* infert *Auguſtinus* I. 118. ad quam imaginem quadantenus accedit ea, quæ apud *Gorlæum* extat P. II. 592.

XX. Ceres, haſtata, papauer cum ſpicis altera manu complectens; cuius vniuerſam mythologiam atque ſignificationem curioſe rimatus nuper eſt Vir celeberrimus *D. Mich. Frid. Lochnerus* in eruditiſſima papaueris per omnem antiquitatem disquiſitione.

XXI. Diana lvcifera, facem quippe ardentem vtraque manu ſuſtinens; qualem inprimis numiſmata Criſpinæ & Saloninæ Augg. referunt. Explicationem eorum vid. apud *Begerum* P. II. 683. & III. 160.

XXII. Diana venatrix, nuda, ceruum & arcum tenens, pro ſymbolo venationis, cuiusmodi etiam ab *Auguſtino* I. 120. proponitur. Aliam atque aliam ipſius formam paſſim licet intueri, præſertim in nummis Saloninæ penes *Patinum* p. m. 330. & 31.

XXIII. Diana ephesia, πολύμαστος illa, ſiue pluribus mammis prædita, vbertatem ac benignitatem Naturæ ſignificans, apparatu quidem hic quam alibi ſimpliciore, candelabris tamen, ad vtrumque latus poſitis, fulta utraque manu; tametſi quibusdam non candelabra, ſed verua, aut neſcio quid aliud eſſe videantur. Pleniorem *Dianæ Epheſiæ* explanationem dediſſe conſtat *Claud. Menetreium*, quem iſta de re conſulere iuuabit, magisque adiectam illi Epiſtolam *Lucæ Holſtenii*, de fulcris Dianæ Epheſiæ ſimulacro appoſitis.

XXIV. Pan, cornutus & capripes, tibiam inflans; qualis etiam a *Gorlæo* I. 55. depingitur.

XXV. Favnvs, ab humero pendente pelle ſuper dorſum, manu ſiniſtra baculum paſtoricium ſiue pedum gerens, dextram vero exaltans, habitu geſtientis; quaſi vellet verbis accommodare ſaltationem, ita cenſente *Auguſtino* I. 136. Nobis eadem, ſed minor eſt, præter illam, in amethyſto.

Tab. II.

TAB. II.



Sardius.
XXVI.
Sardius.
XXVII.
Sardius.
XXVIII.
Sardius.
XXIX.
Sardius.
XXX.
Sardius.
XXXI.
Sardius.
XXXII.
Sardius.
XXXIII.
Sard.
XXXIV.
Sardius.
XXXV.
Sardius.
XXXVI.
Sard:
XXXVII.
Sard:
XXXVIII.
Sard.
XXXIX.
Sard.
XL.
Sard:
XLI.
Ameth:
XLII.
Sard.
XLIII.
Ameth:
XLIV.
Sard.
XLV.
Sard:
XLVI.
Ameth:
XLVII.
Ameth
XLVIII
Sardius.
XLIX.
Sard.
L.

TAB. II.

XXVI. Silenvs, ea propemodum forma, qualem *Lucianus* in Confil. Deorum deſcripſit; Senem nempe caluum & ſimum, breuis ſtaturæ, corpore obeſo ac ventricoſo, auribus magnis & arrectis, tremulum, baculo innitentem, &c. Tametſi enim caluities & aurium iſta conditio haud æque in noſtro appareant, reliqua tamen ſic ſatis bene congruunt: Præterea thyrſus, adeo conſpicuus, omnem de Sileno dubitandi rationem præripit, vt nihil opus ſit ipſum aſſerere contra opinionem *Chifletii*, qui non Silenum ſed Socratem conſimili ſculptura exprimi contendit. conf. *Gorlæum* P. II. 314. & *Begeri* contempl. Gemm. quarund. Dactylioth. *Gorl.* p. 10. Noſtro autem Sileno plurimum reſpondet ille apud *Auguſtinum* I. 133.

XXVII. Zephyrvs, non quidem, ſicut a *Lucretio* fingitur iſte inter ventos prænuncius Veneris, pennatus, ſed velo ſaltem ſiue faſcia inflata inſtructus, corpore iuuenili; qualem in marmoribus antiquis occurrere & motum auræ ventique flatum ſignificare perhibet *Auguſtinus* I. 149.

XXVIII. Horae, vnica perſona, muliebri veſtitu & habitu repræſentatæ. Ipſa tribus ſub ſtellis velum expandit, pedibus quaſi fugacibus inconſtantiam & velocitatem temporis deſignans. Cum noſtra gemma prorſus conuenit, quæ ab *Auguſtino* memoratur I. 148. Cæterum magis nudas per inſomnia apparere olim conſueuiſſe horas, ex *Artemidoro* Lib. II. cap. 49. intelligere licet.

XXIX. Neptvnvs ſiniſtro pede orbi inſiſtens, manuque læua tridentem tenens, dextra vero ἀκροστόλιον, ſeu apluſtre dictum quondam nauis ornamentum; cuius rationem explicat *Schefferus Lib. de milit. nau. veterum* p. 51. & 156. Eadem ferme Neptuni facies exprimitur nummis Auguſti & Veſpaſiani apud *Guil. du Choul* de Relig. vet. Rom. edit. Gall. pag. 97.

XXX. Neptvnvs ſedens, pede ſiniſtro itidem orbi, dextraque manu tridente innitens, ſiniſtra vero piſcem prætendens, quem plerique Delphinum eſſe iudicant, vtpote Neptuno gratiſſimum: *Begerus* autem Theſ.

Brand. III. pag. 73. Thynnum ſuſpicatur, coniectura licet parum probabili, quandoquidem figura illius piſcis, cum in gemma noſtra, tum in M. Agrippæ & vrbis Carteiæ nummis, Delphino quam Thynno longe eſt convenientior.

XXXI. BONVS GENIVS, ſuaui adoleſcentis forma, coronatus plantani foliis, manu dextra ſuſtinens cornu copiæ, ſiniſtram vacuam attollens, admonentis inſtar, qualem etiam depinxit *Ioach. de Sandrart* l. c. Tab. R.

XXXII. PSYCHE, alis papilionis cœleſtem naturam & immortalitatem mentis humanæ ſignificans: Ipſam vero, in corporis carcere veluti captiuam, manus ad tergum reiectæ, flexaque in terram genua oſtendunt. Vniuerſam de Pſyche fabulam ex *Apuleio* recenſuit *Fulgentius*, mytholog. Lib. III. cap. 6. & myſticum eius ſenſum ſcite explanauit. Noſtræ autem gemmæ perquam ſimilis eſt ea, quam *Auguſtinus* I. 150. exhibet.

XXXIII. HERCVLES, victor, cum claua nempe & exuuiis leoninis, altera manu lauri ramum oſtentans; qualis præſertim in nummis Commodi, Herculis ipſius ad inſaniam & riſum vsque æmuli, conſpicitur.

XXXIV. HERCVLES, vulgatiſſimo ſimulacro, cum leonina pelle, & claua ad terram demiſſa innitens.

XXXV. HERCVLES, eidem inſidens pelli, capite in brachium incumbens, tanquam labore feſſus, aut certe otioſus, poſita ante ſe claua, malisque (vt videtur) aureis ad pedes collocatis: Aliam quadantenus figuram nummus Maximiani refert, HERCVLI VICTORI inſcriptus, quem vid. in Theſ. Brand. III. p. 170.

XXXVI. HERCVLES, Cerberum tricipitem domans ac vinciens, quem ſupremum ipſi laborem adſcribunt Poetæ. Arbor autem, cui adſtat Hercules, aliam eiusdem ærumnam, coniiciente haud perperam *Auguſtino* II. 5. deſignat, poma ſcilicet Heſperidum aurea, cuſtode interempto dracone, reportata. Nullum arboris veſtigium apparet in gemma Theſ. Brandenb. III. p. 192. expoſita, quæ cæteroquin cum noſtra plurimum congruit. De Cerbero ibidem prolixe diſputat *Begerus*.

XXXVII.

XXXVII. IOLE, niſi potius OMPHALE, amaſia Herculis, cuius ea clauam & leoninum integumentum iocoſe ablatum geſtat. Iolem certe *Auguſtinus* I. 112. & 113. binis non multum differentibus a noſtra gemmis repræſentari arbitratur, *Begero* Theſ. Palatin. p. 64. iam ſubdubitante, qui deinceps in relat. de tribus primis Volum. Theſaur. antiquit. Græc. pag. 17. prorſus non aliam quam *Omphalem* referri contendit, accuratiore Carminis *Ouidiani* conſideratione inductus.

XXXVIII. AESCVLAPIVS, medicorum iſtud Numen, habitu peruulgato viri ſenis, palliati, baculo innixi, ſerpente circumuoluto; ſicuti frequentiſſime in gemmis, marmoribus, nummisque antiquis comparet. Infrequentius autem eſt, quod is manu ſiniſtra tenet; vtrum volumen, an quid aliud ſit? nobis ſagaciores decernant.

XXXIX. TELESPHORVS, Aeſculapii comes, & ipſe quondam alio EVAMERIONIS nomine, pro Deo valetudinis religioſe cultus, a Pergamenis præſertim, qui oraculo edocti, Teleſphorum vocare didicerunt, formamque ipſius in nummo Hadriani expreſſam dederunt; cuius accuratiorem, noſtræque gemmæ propius accedentem imaginem ſiſtit Theſ. Brandenb. III. pag. 660. Indutus autem veſte conſpicitur Teleſphorus a capite ad pedes reuoluta, qualem *Martialis*, obſeruante *Patino* l.c. pag. 160. Lingonicum Bardocucullum appellauit. Plura de eodem commentatus eſt *Giſb. Cuperus* in Apotheoſi Homeri pag. 142.

XL. HYGEIA, Aeſculapii filia, nec ſolum Dea ſalutis, ſed ipſa SALVS, nominis indicio, paſſim occurrens matronali habitu, ſerpentem dextra, pateram ſiniſtra tenens.

XLI. HYGEIA, vix quicquam a priori differens, niſi quod, abſente vipera, ſolum ſiniſtra manu protendat vaſculum ſalutiferum.

XLII. & XLIII. FORTVNA, exiguo formæ & apparatus inter ſe diſcrimine: geſtat enim vtraque cornu copiæ & gubernaculum, quod altera quidem ſimplici manubrio apprehenſum, altera anſæ aut funiculo transuerſim alliga-

tum tenet; eodem fere modo, quo ſubinde in nummis & gemmis, tum præcipue apud *Gorlæum* II. 4. & 18. deprehenditur.

XLIV. FORTVNA CONSERVATRIX, per eminentem e manu dextra ſerpentem, haud obſcure ſignificata.

XLV. CONCORDIA AETERNA, ſi credere fas eſt *Ioach. a Sandrart*, qui l. c. Tab. F. imaginem noſtræ gemmæ perſimilem, cum inſcriptione iſta delineauit. Sed magis videtur PIETATIS eſſe ſymbolum: Concordia enim (quantum nobis conſtat) nusquam hac effigie, ſed coniunctis dextris, aut alia facie exprimitur. Pietatem vero ſub ſtolata mulieris perſona, haſtam gerente, manuque altera infantem, (extenſis veluti ad matrem brachiis) ſuſtinente, notat nummus Plautillæ, in Theſ. Brandenb. P. II. p. 704.

XLVI. PVDICITIA, matronæ habitu, velum ori obducentis: Hanc gemma noſtra exhibet ſtantem, quam frequentius ſedentem reperire licet in nummis, præſertim Otacillæ Seueræ, Etruſcillæ & Hoſtiliani, quos vide in Theſ. Brandenb. II. p. 731. 33. 35. conf. ſi placet, Illuſtr. *D. Wedelii* Decad. V. Exercit. IX. de nummis capite velato.

XLVII. SPES, muliebri pariter forma, ſpicas dextra manu verſus terram demittens, læua autem trifoliatum quidpiam attollens: Hoc, quicquid tandem deſignet, vix auſim decernere, cum non ſolum *Auguſtinus* I. 121. ſculpturam noſtræ parum diſſimilem proponens, ſed & *Patinus*, *Begerus* aliique nummorum veterum interpretes, quos quidem hactenus euoluere licuit, idem toties oblatum Spei ſignum pede, quod dicitur, ſicco prætereant. Lilium eſſe ſuſpicabar, & mox in hac opinione me confirmauit celeberr. Viri D. *B. G. Struuii* aſſertio, quod Lilium ſit perpetuum ſpei ſymbolum. Autoritatem eo minus defore arbitror, quo minus obſcura ſubeſt ſignificationis ratio.

XLVIII. HARPOCRATES, ab Aegyptiis quondam habitus ſilentii Deus, Perſicæ (veluti propriæ ſibi arboris) folia, quin & fructum in capite, cornu autem copiæ manu ſiniſtra gerens, dextræque digitum indicem labris admouens, tanquam impoſiturus ſilentium. Complures alias ipſius ſtatuas atque figuras, ex antiquitatis quibuscunque monumentis ſtudioſe collegit ſagaciterque illuſtrauit, libro ſingulari Vir doctiſſ. *Gisbertus Cuperus*, quem propterea conſuluiſſe L. B. ſufficiet.

XLIX. SACRIFICANS, ſtrictum quaſi manu cultrum tenens, adſtante capro immolando; nititur pede ſiniſtro capite arietis: Hinc non inepte ruralis cuiusdam Dei, ſiue Bacchi ſiue Mercurii, ſacrificium indicari coniicit *Auguſtinus* I. 139. quoniam ipſis, pro cuſtodia & incolumitate gregum, iſtæ pecorum ſpecies in victimam olim offerri conſueuerunt.

L. SACRIFICIVM SALVTIS, quod fœmina peragit prope nuda, exporrecto ſuper aram, cui arietis caput impoſitum eſt, vaſculo, aut patera. Aſſidet Vir, prono ad terram corpore, ſerpentem, vtpote ſalutis ſymbolum admouens ſuppoſito vaſculo. Conſimiles ſacrificii huius imagines vide ſis in *Gorlæi* Parte I. 152. & II. 492. item in Theſ. Brandenb. I. p. 69 inprimis vero *Auguſtin.* I. 140.

TAB. III.

TAB. III.


Ameth.
Achat Nig.
Ameth.
Sardius.
Sardius.
LI.
LII.
LIII.
LIV.
LV.
Sardius.
Sardius.
Sard.
Sardius.
Onych.
LVI.
LVII.
LVIII.
LIX.
LX.
Ameth.
Sardius.
Ameth.
Sardius.
Sardius.
LXI.
LXII.
LXIII.
LXIV.
LXV.
Sard. Alb.
Sard.
Sard.
Sardius.
Ameth.
LXVI.
LXVII.
LXVIII
LXIX.
LXX
Ameth.
Sard.
Sardius.
Sardius.
Sard.
LXXI.
LXXII.
LXXIII.
LXXIV.
LXXV.

TAB. III.

LI. SACRIFICIVM SALVTIS, quod facit ſenex aræ aduolutus, ſerpentis Numen, ſuffimento quaſi placandum, admouens accenſo foco, altera vero manu vaſculum vini aut alius liquoris tenens. Eandem figuram nos amplius inſculptam Iaſpidi habemus, vtique conformem iſti ſardio *Auguſtini* I. 138.

LII. SACRIFICIVM SALVTIS aliud hanc gemmam deſignare, perſuaſit ille, a quo accepimus, quapropter etiam hunc in Tabula occupauit locum: Iam vero paulo accuratius conſiderata, ipſam HYGEIAM aræ adſtantem referre videtur, quod quidem de conſimili typo in *Gorlæi* Dactylioth. I. 121. libere affirmat *Gronouius;* tametſi non penitus conſtet globi aræ impoſiti ratio, niſi forte orbis terrarum ſalutem tota figura ſignificat.

LIII. SACERDOS BACCHI, cum cantharo & thyrſo, palla indutus; vnde quendam e Silenis chlamydatis, aut ipſum BACCHVM BASSAREVM eſſe ſuſpicatur *L. Auguſtinus* I. 132. adſtipulante *Begero* Theſaur. Palatin. p. 32. quos eam ob rem attentius contuliſſe haud pœnitebit.

LIV. PHILOSOPHVS ignotus, cathedræ, an exedræ inſidens, & brachii manusque geſtu, acri ſe diſceptatione occupatum declarans: cumque medio corpore nudus appareat, non inepte hinc colligit *Auguſtinus* I. 153. ipſum in Gymnaſio aut in thermis conſediſſe. Nos eandem Philoſophi faciem in duabus aliis gemmis diuerſæ magnitudinis oſtendere poſſumus.

LV. DEMOCRITVS Abderita, Philoſophus, decrepiti ſenis vultu, capite prono, barba prolixa, ſcipione nitens, euidentiore ſenectutis extremæ indicio: obiit enim, nouem ſupra centum annos natus.

LVI. HERACLITVS, pariter Philoſophus, ſed decantata conſuetudine humanarum rerum miſerias plorandi, a Democrito, eandem ob cauſam ſæpius ridente, ſatis quoque vulgo diſtinctus, noſtræ etiam gemmæ teſtimonio haud obſcuro.

LVII. DEMOGORGON, dubia omnino tam nominis quam imaginis significatione: Vtrum enim sit fabulosum istud æternitatis symbolum, quale *Ioach. de Sandrart* l. c. pag. 11. & seq. præeunte *Bocatio* effinxit? an DEMIVRGVS, *Platonis* Deus omnium summus? an Numen aliquod Inferorum maxime horrendum, sicuti e *Statio* & *Lucano* quidam colligunt? an denique Magum (narrante *Stephano* in Diction. Historico) designet Demogorgona, laruarum censorem grauissimum, æternis forte damnatum & obuolutum nebulis? definiendum aliis relinquimus.

LVIII. LAOCOON, Apollinis Thymbræi Sacerdos, carminibus Poetarum infamatus, quod commisso piaculo, concitata in se Deorum indignatione, a serpentibus vastæ magnitudinis, ipse cum suis filiis interemptus fuerit. Statuam eius, trium maximorum artificum opus, quod omnibus & picturæ & statuariæ præferendum iudicauit *Plinius* XXXVI. 5. monstrant hodieque horti Vaticani. Cæterum illius ectypo, quod diuersi antiquitatum scriptores exhibent, gemma nostra haud æque respondet.

LIX. ACHILLAS, Aegyptius, qui Pompeii magni, abs se & sociis perfide trucidati, caput in lance spectandum offert, quemadmodum idem sistitur ab *Augustino* I. 169. & in alio, qui nobis est, maiusculo achate nigro comparet. Historiam facinoris illius digna oratione consignarunt *Lucanus* & *Plutarchus*.

LX. AENEAS patria profugus, nocturno itinere, luna indice, ANCHISEM portans, & manu ASCANIVM ducens, prorsus eo habitu, quo extat apud *Augustinum* I. 151. qui probe animaduertit, vas ab Anchise, sacerdotis instar amicto & velato, gestatum, inclusos forsan prodere Deos Penates. Nihil horum conspicitur in figura veteris lucernæ, cæteroquin pulcherrima, quam *Bellorius* Part. III. 10. exposuit.

LXI. ALEXANDER MAGNVS, vestitu militari & paludatus, dextra manu sceptrum protendens, sinistra innixus hastæ: Similem habet *Augustinus* I. 155.

LXII. ROMAE TYPVS, perſona ſagata, galeata, haſtata, victoriolam manu protenſa ſuſtinens, quæ citato quaſi curſu coronam illi offert. Non multum diſcrepat figura Iaſpidis apud *Gorlæum* I. 8. vbi quidem *Gronouius* MARTEM potius VICTOREM deſignari exiſtimat, nulla neceſſitate; quoniam idem typus in diuerſis numiſmatibus antiquis occurrit, cum inſcriptione, aut ſimplici, ROMAE, aut RENASCENTIS epitheto; quamuis nec rarius exiſtat ſedens, Mineruæ habitu, elogio addito ROMAE VICTRICIS, AETERNAE, &c.

LXIII. MVTIVS SCAEVOLA, propter audaciam in aſſerenda libertate Romana, aduerſus Porſenam Regem, celebris, dextram, qua pro Rege ſatellitem errans interfecerat, ipſe vna cum gladio indignabundus flammæ intrudens. Nobis aliæ tres adhuc eiusdem faciei ſunt gemmæ, omnes ad illam *Auguſtini* I. 156. accedentes proximius quam ad Sardium *Theſ. Palatin.* pag. 72. in quo galeatus, læuaque manu clypeum tenens apparet Mutius.

LXIV. CINCINNATVS, ab intortis in cincinnos capillis ita dictus, homo plebeius, at virtutis merito euocatus ab aratro ad Dictaturam Romanam, cui ſe accingere heic videtur, arma ſumendo & caligas induendo.

LXV. BRITANNICVS, Claudii Cæſaris ex Meſſalina filius, hic prætextatus, volumen dextra manu tenens.

LXVI. GLADIATOR RVDIARIVS: Erat autem rudis armorum ſpecies, qualis e ligno dabatur gladiatoribus emeritis, & ab arena liberatis; quaſi non amplius obligati eſſent ad ferrum. Ita *Auguſtinus* I. 159.

LXVII. MILES, ingeniculatus, poſito ante ſe clypeo, defenſionis cauſa.

LXVIII. MILES SIGNIFER, tanquam velit ipſum modo ſignum, ima parte haſtilis acuminata, humi figere.

LXIX. MILES, poſito ad terram clypeo, læua manu haſtam, dextra (quantum ego perſpicio) fundam gerens.

LXX. Miles cvm praemio, nisi potius armorvm cvstos, sicut *Augustinus* I. 164. iudicat, & supra iam ad Tab. I. fig. 10. notatum fuit. Hastam enim, in præmium olim datam, sine ferro & puram fuisse constat: Galeam vero inter præmia numeratam, apud neminem veterum autorum deprehendere hactenus potui.

LXXI. Nampheros, nescio quis, Romanus fortasse Mirmillo quidam, aut in sacris certaminibus victor, ad exemplum illius apud *Augustinum* I. 166. sculptus, palmam prælongam & amplam attollens; in victoriæ signum, altera manu galeam, detractam capite, imponens clypeo.

LXXII. Pver iocans, siue ludens cum trocho, aut circulo, quem proiicere videtur, puerili exercitatione.

LXXIII. Messor, luculento falcis & spicarum indicio; vt vix intelligam quid *Gronouium* in explicat. Dactylioth. *Gorl.* I. 49. permouerit, ad Vertumnum coniectura quadam substituendum.

LXXIV. Pastor, nudus, qualis etiam extat apud *Gorlæum* I. 74. cum pedo & patera, tanquam sacrificaturus.

LXXV. Liberta, iam iam stolata & honestius vestita, virgam gerens manu dextra, pileolum sinistra, vtpote manumissionis ipsiusque Deæ Libertatis antiqua symbola; quibus accedit vas cum palma, quæ vtraque Libertis pro præmio dari in ludis solebant, docente curiosius *Augustino* I. 124. conf. eandem in rem *Iac. Ræuard.* Lib. IV. variar. cap. 9.

Quæ tribus hisce prioribus Tabulis *expositæ sunt* gemmae, *ad vnam quasi omnes, Deorum hominumque fabulas & historias humana quadam sub specie repræsentant. Sequuntur nunc aliæ, eiusdem fere significationis quidem, sed hieroglyphico magis animantium brutorum, tum & rerum quarundam inanimatarum sub schemate.*

Tab. IV.

TAB. IV.

Ameth. 1.



Sard. 2.



Achat. 3.



Jaspis. 4.



Sard. Alb. 5.



Sard. 6.



Onijch. 7.



Onijx. 8.




Sard. 9.



Sard. 10.



Chalcedon. 11.




Onijch. 12.




Ameth. 13.



Sard. Alb. 14.




Sard. Alb. 15.



Sard. Alb. 16.




Ameth. 17.



Ameth. 18.



Sardius. 19.



Sardius. 20.



Sard. 21.




Sard. Alb. 22.



Ameth. 23.



Ameth. 24.



Sard. 25.



TAB. IIII.

1. Formica, parum quidem formoſa, ex pedum tamen numero & capitis figura quodammodo dignoſcenda: neque vero accuratius inſculptam iaſpidi ſiſtit *Guil. du Choul* edit. Gall. pag. 66. ſingulari licet antiquitatis & raritatis commendatione, nec minus probabili coniectura, quod PROVIDENTIAE referat ſymbolum, indicibus præſertim ſpicis frumenti, ore geſtatis, veluti ad ſubleuandam inſtantem indigentiam comportandis; quemadmodum iam pridem inter hieroglyphica numeratam iſto nomine formicam aſſeruit *Io. Pierius Valer.* Lib. VIII. cap. 1.

2. Canopus, idolum ab Aegyptio Sacerdote in ludibrium Chaldæorum quondam effictum, ad ignem extinguendum, quem hi, pro Numine omnium potentiſſimo, ſuperſtitioſa iactatione circumferebant. Erat autem Canopus, *Ruffino hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 26.* teſtante, ſimulacrum exiguum, attracto collo, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti &c. quæ verba ideo ſaltem adducere placuit, vt ipſorum appoſitus ad gemmam noſtram ſenſus pateſceret. Cæterum quanto frequentius Canopi imago in gemmis, nummis & ſtatuis occurrit, tanto facilius de eodem plura narrare ſuperſedeo. Conſulat, cui volupe eſt, *Kircheri Oedipum Aegypt.* Tom. I. pag. 207. & ſeq. nec non Tom. III. pag. 436. ſeq.

3. Canopus, grypho impoſitus, anteriore pede rotam mouens. Totius hieroglyphici huius interpretem ſatis ingenioſum egit L. *Auguſtinus* I. 205.

4. Abraxas, impietatis & hæreſeos Baſilidianæ monſtroſum figmentum, capite gallinaceo, corpore loricato, manibusque humanis, altera corollam, altera caſſidem protendens, pedibus in ſerpentes deſinentibus. Huic ſimillimum *Gorlæus* exhibet I. 183. ORNITHOCEPHALI ABRAXAE appoſito nomine. Complures alias affines figuras, cum alibi, tum in *Io. Chifletii Abraxa Proteo* cernere licet.

5. Chimaera hæc eſt, ſi quidem *Auguſtino* I. 203. credimus, tametſi ea, ſecundum fabulam antiquam, ex

capite & pectore leonino, ventre caprino & cauda draconis compositum portentum referre debeat: Sed in nostrate nec leonini nec serpentini quicquam apparet. Quare vel AMVLETI vel ABRAXAE quoddam terribile specimen esse videtur, cui non admodum dissimilia extant apud *Gorlæum* II. 316. & 17.

6. HARPYIA, quam male expressit Chalcographus, noctuæ omnino forma & rostro, cum tamen ipsa gemma humanam faciem in corpore rapacis cætera volucris clarissime prodat; qualem & *Virgilius* Aen. III. describit, in quem locum nonnulla commentatus est perdocte *Begerus* Thesaur. Brandenb. III. p. 371.

7. FORMICA, pone myrmeciam sub arbore constructam. Hæc figura, cum proxime post primam huius Tabulæ collocari debuisset, incuria sculptoris inepte huc est reposita: Declarat autem sine dubio iterum aut Providentiæ, aut alacritatis & solertiæ in re familiari vulgare symbolum.

8. MONSTRVM AEGYPTIVM, hieroglyphicum, composita veluti ex tauro & leone forma, cuius significationem mysticam eruere ac reuelare fategit *Augustinus* I. 208.

9. SERPENS aut DRACO, pariter Aegypt. hieroglyphicum, Loti fortasse florem, Isidi sacrum, capite gestans, quemadmodum figuram consimilem in nummo Faustinæ interpretatur *Patinus* p. m. 202.

10. SERPENS, itidem flore ornatus in capite, parum a priore diuersus, nisi quod paulo sit gracilior & longiorem habeat intortam magis caudam. Talis fere in nummo quodam Antonini, apud eundem *Patinum* p. 143. spectatur.

11. SERPENTINVM NVMEN, capite radiato, diuinitatis argumento. Ad Abraxam equidem id trahere *Chifletius* l. c. voluit, contradicente tamen *Gronouio* in explicat. *Gorlæi* I. 32. ideo quod nummi, ipsius Abraxæ nefario inuento antiquiores extent, ab Iopolitis & Dionysopolitis cusi, eadem serpentis imagine insigniti.

12. TRIPVS APOLLINIS, circumuoluto & eminente super illum serpente; qualis etiam a *Patino* p. 196.

propo-

proponitur in numiſmate M. Aurelii a Calchedoniis percuſſo, nec non in alio Familiæ Semproniæ nummo, *Theſaur. Brandenb.* II. p. 583.

13. TRIPVS APOLLINIS, cum inſignibus eiusdem aliis, inſidente videlicet CORVO, appoſita ad vnum latus CITHARA, ad alterum LAVRI RAMO; vt videatur eſſe quædam APOLLINIS CONSECRATIO. Similem apparatum repræſentat Iaſpis antiquus apud *Guil. du Choul* l. c. pag. 197.

14. CITHARA APOLLINIS, aut LYRA, ſingulari quidem ornatu, & rarius occurrente ſtructura, ſatis tamen congruente ad Numinis illius hiſtoriam; quippe cui & *Delphinos*, vtrumque latus citharæ cingentes, & *Taurum*, qui baſin conſtituit, ſacrata, diuerſam ob cauſam fuiſſe animalia, priſcæ docent fabulæ, quarum myſteria *Auguſtinus* I. 213. dilucidauit.

15. SISTRVM, Iſidis in ſacris apud Aegyptios vſitatum quondam inſtrumentum, ſonorum & muſicum, ex ære fabricatum, cuius ſpecimina luculenta hodieque ſuperſunt in Italia, quorum imagines exhibent *Mich. Ang. Cauſeus Tab. XV. de Inſignibus Pontif. Max.* & *Laur. Pignorius* l. c. edit. nov. pag. 67. a quibus vix quicquam differt, quod Cimeliarchio Berolinenſi proprium delineavit atque deſcripſit *Begerus* Part. III. pag. 399. Singulorum illorum Siſtrorum vertici felis inſidet, cuius loco in noſtra gemma comparet quidpiam aliud, quod *Loti florem* eſſe, *Auguſtino* I. 214. aſſerenti facile credimus.

16. PONTIFICVM ET SACERDOTVM ROMAN. INSIGNIA, paganæ quondam religionis, pleraque tamen male per chalcographum expreſſa, cum longe accuratiores figuræ extent in ipſa gemma. Debet autem iſtud in latere dextro poſitum, monſtroſe extenſum & conſtrictum ſchema, deſignare APICEM, pilei genus; quod vero eminet in medio, SECVRIM fortaſſe, aut aliud inſtrumentum, ad victimas percutiendas vſitatum; huic adſtans vaſculum refert SIMPVLVM aut SIMPVVIVM, pro vino in ſacrificiis libando. Denique ASPERGILLVM cernitur, melius delineatum,

quo aquam lustralem spargere sacerdotes solebant: Quæ singula pariter visuntur in nummo Çæs. Octav. Augusti apud *Patinum* pag. 24. sine vlla tamen interpretatione.

17. INSIGNIA EADEM, nisi quod simpulum desit, nudumque saltem aspergilli manubrium conspiciatur. Hic denuo notanda negligentia sculptoris, qui gemmæ nostræ typum elegantem minime est assecutus; cui multo proximius accedit imago nummi veteris a *Guil. du Choul* p. 228. exhibita.

18. PONTIFICATVS ET AVGVRATVS INSIGNIA, fere communia, lauro inclusa, nempe LITVVS & VAS, quod magis videtur esse PRAEFERICVLVM quam Simpulum. Figuras consimiles deprehendere licet apud eundem *Choulium* p. 228. & seq. e nummis Iul. Cæs. & Lentuli Spinteri depromptas.

19. ARMA HERCVLIS, ARCVS scilicet, PHARETRA cum sagittis & CLAVA; cuiusmodi ferme occurrunt in Achate *Gorlæi* I. 108. tum & in nummis Postumi passim descriptis. Gemmæ nostræ peculiaris est PALMA, sine dubio in virtutis & victoriæ signum apposita.

20. DELPHINVS CIRCVMPLECTENS ANCHORAM, frequens omnino typus in Græcis Romanisque nummis, siue imperii maritimi, siue quietis eius index. conf. *Gorl.* I. 181.

21. CORNV COPIAE DVPLEX, omnium rerum abundantiam significans, quale diuersis in nummis spectatur, præsertim in isto Liuiæ apud *Patinum* p. 42. vbi tota illius Cornu historia ex *Diodoro* illustratur.

22. AQVILA TRIVMPHALIS, aut victoriæ index, per sertum rostro gestatum. Consimiles in gemmis imagines sistuntur a *Gorlæo* I. 129. & *Augustino* I. 195.

23. VRBIS ROMAE TYPVS, Luna videlicet crescens, quæ globum comprehendit, superpositis duabus stellis. Talem *Choulius* p. 164. ex veteri nummo æneo repræsentat.

24. CYZICI, VRBIS MYSIAE SIGNVM, columna nempe exardens, vel tæda potius, cui serpens circumuolutus est. Eandem faciem inter nummos Antonini conspiciendam sistit *Patinus* p. 191. ampliore addita, de vrbis & symboli illius ortu, commentatione.

25. PALMA, peruulgatum IVDAEAE a Romanis CAPTAE signum, tametsi ea raro sola, sed appositis frequenter captiuis aut aliis personis, denique literis stipata inueniatur, præsertim in Vespasianorum & Neruæ nummis, cum alibi, tum in *Thesaur. Brandenb.* Part. II. p. 630. & 35. nec non Part. III. p. 110. considerandis.

TAB. V.

TAB. V.

Ameth.

1.



Amethist

2.



Sardius

3.



Sardius

4.



Amethist

5.



Ameth.

6.




Sardius

7.



Sardius

8.



Sard.

9.



Sardius

10.



Sardius

11



Sardius

12.



Criſtall

13.



Iaspis.

14.



Achat.

15.



Chalcedon.

16.



TAB. V.

1. AVGVRVM ET SACERDOTVM pleraque SIGNA illa, quæ Tab. IV. fig. 16. & 18. iam ſunt expoſita; *Lituus* nempe & *Præfericulum*, *Aſpergillum* & *Simpulum*, quæ omnia pariter in nummis Antonini Pii & M. Aurelii conſpiciuntur apud *Choulium* p. m. 306.

2. SERPENTIS AESCVLAPII NVMEN ad aram aſſurgens, indeque ſacram ἀναθυμίασιν aut thuris conſecrati fumum recipiens; cuiusmodi fere apparet in nummo quodam Epidauri, quem idem *Choulius* p. 105. recenſet.

3. SERPENS, Imperii apud Aegyptios ſymbolum, *gyris multiplicibus*, retro *caduceum*, *ſpicam* ante ſe appoſitam habens, innuendæ videlicet vbicunque paci & vberitati: Quale ſchema extat in nummo Hadriani apud *Patinum* p. m. 156. Ceterum in gemmæ noſtratis præſente icone chalcographus apices caducei abſurde frondibus ornauit.

4. EQVVS *currens*, cui DRACO eſt impoſitus, ſpectatur ſimiliter in nummo Domitiani; quamuis ſignificationem eius ſe neſcire fatetur *Patinus* p. 135. Fortaſſe autem prudentiam Cæſaris, fortitudini & celeritati coniunctam arguit.

5. EQVVS MARINVS, in piſcem deſinens. Huiusmodi quatuor currum Neptuni trahere finguntur: Quin etiam in aliquibus nummis tanquam *ſymbolum Neptuni* equus marinus cernitur; in gemma vero idem occurrit apud L. *Auguſtin.* I. 112.

6. DELPHINVS, præ cunctis fere piſcibus valde celebratus Poetarum fabulis, & inter ſigna cæleſtia relatus.

7. CAPRICORNVS, *cornu copiæ* gerens, quo ſigno Auguſtus in nummis vſus eſt, vt genituram ſuam orbi terrarum auſpicatam declararet. Conf. *Sueton.* cap. 94. Nummi vero imaginem *Patinus* exhibet p. 24.

8. AVIS, ſine dubio IBIS, quondam Iſidi ab Aegyptiis ſacrata, & in ipſorum hieroglyphicis admodum frequens, cuius ampliorem hiſtoriam ex antiquis autoribus contexuit *Laur. Pignorius* in explic. menſæ Iſiacæ edit. nou. p. 76. & ſeq.

9. Aegyptvs, matronae forma, *fiſtrum* obtendens *Ibidi*, in columna oppoſitæ. Manu læua innititur *calatho*, *ſpicis*, an floribus pleno. Eadem propemodum figura deprehenditur in nummo Hadriani, quem præter alios recenſuit *Anton. Auguſtinus* antiq. numm. p. 41.

10. Danvbivs flvvivs, quemadmodum pingitur in nummo Traiani apud *Begerum* Theſ. Brand. II. p. 647. arcuato circa caput velo, altera manu ratem tenens, altera effundens hydriam.

11. Rhenvs flvvivs, *arundinis* aut alius plantæ *ramum* dextra gerens, brachiumque ſiniſtrum imponens *hydriæ*. Similem quodammodo refert Poſtumi nummus, in eodem *Theſauro Brand.* p. 748. cum inſcriptione, *Salus Prouinciarum*.

12. Senex ingenicvlatvs, cui *Amor* ſeu *Cupido* alludit, an potius illudit: Hunc alatum repræſentat gemma noſtra, quod chalcographus neglexit.

13. Aristomachvs, Philoſophus, *apum* per annos duodeſexaginta *ſpeculator* aſſiduus, teſte *Plinio* Lib. XI. cap. 9. Conformes imagines videſis in *Gorl.* Part II. 235. & *L. Auguſtin.* II. 37.

14. Cornv copiae *geminum*, *ſpicis* interpoſitis diſtinctum, non tam abundantiæ (quod *Gorlæus* I. 6. voluit) quam *felicitatis publicæ ſignum*, ſicuti patet ex nummo Seueri apud *Choul.* p. m. 112.


15. Sphinx, hieroglyphicum antiquitatis figmentum, vultu virgineo, corpore leonino, rotam verſans. Conf. *Auguſtin.* I. 206. de Sphingis autem Aegyptiæ & Thebanæ differentiis *Theſ. Brand.* III. p. 369.

16. Chimaera, vel ſi mauis, *Abraxicæ ſuperſtitionis ſpecimen*, compoſitum ex Ibide, duabus laruis humanis, capite arietino, quod draconem ore ſuſtinet. Cæterum pedibus inſiſtit lacertæ aut crocodilo: Quare non ſecundum altitudinem (vti quidem noſtra & *Auguſtini* II. 204. figura vitioſe ſe habet) ſed transuerſim poni & conſiderari debet; quæ quidem omnium huius tabulæ Gemmarum communis eſt conditio.

TAB. VI.

Jaspis.

I.



Carniol.

II.



Lapis Laz.

III.



Jaspis.

IV.



Jaspis.

V.



Achat.

VI.



Jaspis.

VII.



Chalcedon.

VIII.



Jaspis.

IX.



Achat.

X.



Achat.

XI.



Achat.

XII.



TAB. VI.

I. LVNA CVM STELLIS circumpofitis *feptem minoribus*, & impendente *vna maiore:* Illas fignificare plauftri fidera, hanc folem exiftimat *Petrus Bellorius* part. II. Lucern. antiqu. 12. & fit tanquam *fymbolum æternitatis* & loci, quem veteres Romani defunctorum animabus affignabant.

II. VOTVM, vti apparet, VALETVDINIS CAVSA factum a fœmina, quæ *circumplicatum columnæ ferpentem* apprehendens, Aefculapii Numen deprecari videtur. Præfto eft *coronatus fenex*, fortaffe facerdos, & iuuenis togatus, affidente alio cum *lyra* aut *cithara*. Non multum a noftra difcrepat gemma, quam exhibuit *Gorlæus* II. 674.

III. PENTAGONVM ferpente cinctum, haud infrequens *falutis fymbolum*, quale omnino extat apud *Gorlæum* I. 192. perperam ibidem vocante *Gronouio Hexagonum*.

IV. CORVVS *Apollini facer*, nifi rectius cenfuit l. c. 19. *Gronouius*, quod fit CORNIX ab ilice prædicens, decantata *Virgilio*.

V. SACRIFICIVM BACCHI, quod ante *columnam* eius peragit *rufticus agricola*, vinum ex vtre effundens in vas aut *carchefium* Baccho facrum, ceu pluribus verbis declarat *L. Auguftin.* I. 134.

VI. BACCHANS, geftu fimilis furenti, *thyrfum* vibrans, alteraque manu *racemum vuæ* attollens, pendente ab eius brachio *leonina pelle*, *amphoram* pede profternit. Conf. *Auguftin.* I. 135. & *Thef. Brand.* III. p. 198. vbi quidem *Begero* FAVNVS aliquis aut SATYRVS SALTANS repræfentari videtur.

VII. SACRIFICIVM PRIAPI, a fœmina fufceptum, quæ ad *Priapi columnam* poma deponit aliaque dona. Affert ab altera parte puer *nucem pineam* prægrandem, & in capite caniftrum, *phallis* rebusque aliis plenum.

Ipſe vero *Priapus*, inguine ſatis viriliter porrecto, inſiſtit columnæ, *thyrſum* geſtans humero, atque hoc ipſo *Dionyſum* ſimul referens: quam in rem plura commentantur *L. Auguſtin.* II. 13. & *Begerus* in Theſ. Palatin. p. 102.

VIII. CALIGVLAE nefarium ac turpe SACRIFICIVM ITYPHALLICVM, quod ille cum tribus ſororibus, Lucilla, Druſilla & Iulia celebraſſe fertur: In hoc nos tantum artificii figurarum præſtantiam cum *L. Auguſtino* I. 142. laudamus, cætera deteſtamur.

IX. ABRAXAS, cuius immenſam prope varietatem exiſtere iam ſupra ad Tab. IV. fig. 4. notauimus. In præſenti autem ſchemate comparet *ſenex*, toruo vultu, & ampliſſime mentulatus, *humeris pedibusque alatis*, altera manu *ſcorpium* & *baculum* tenens, altera *vtrumque ſibi femur ſtylo transfigens*. Poſt alas ſuperiores *duo* extenduntur *brachia*, quæ totidem ab vtroque latere complectuntur *ſceptra*. Innititur hoc monſtrum pedibus *ſerpente*, ita *gyrato*, vt caudam mordeat; in eius autem gyro includuntur *cancer*, *canis*, *coruus*, & quartum animal incertum, niſi forte *caſtor* eſt. Cæterum in explicatione illius tam inſignis *Abraxæ* totus quaſi eſt *L. Auguſtinus* II. 36. aſſimiles autem ipſi figuras ſpectare licet in *Gorl. auct. num.* 352. & ſeq.

X. THALIA MVSA, Comœdiarum præſes, *laruam comicam*, prolixe barbatam, pro ſigno manu tenens. Conf. *Auguſtin.* I. 143.

XI. MELEAGER, cum *canibus venaticis*, binisque inſtructus *venabulis*, quibus *aprum* immanem *Calydonium* transuerberaſſe dicitur. Huius ille *caput*, vna cum ceruino appoſitum aræ, videtur immolare velle *Numini*, quod fortaſſis eſt *Dianæ*.

XII. CLEOPATRA, mortem ſibi inferens morſu *aſpidis*, ad brachium applicatæ; prorſus ita congruente ſpectaculo cum *Plutarchi* narratione, quam curioſius expendit *Begerus Theſ. Brand.* I. p. 215.

TAB. VII.

TAB. VII.

Sardius.

I.



Sardius.

II.



Chalcedon.

III.



Chalcedon.

IV.



Chalcedon.

V.



Cristall.

VI.



TAB. VII.

I. Siſtitur hic imitamentum feliciſſimum Gemmæ cuiusdam pretioſiſſimæ, & admirabili artificio ſculptæ, quam aſſeruat Regium Pariſienſe Cimeliarchium, titulo *ſigilli Michaelis Angeli* (*cachet de Michel Ange*) quamuis id proprium olim fuerit *Raphaeli Vrbinati*, præſtantiſſimo pictori. Nouam illius & elegantem auctæ magnitudinis imaginem, æri inciſam, *Abbati Bignonio* dedicauit *G. Montbard*, ſubiuncta idiomate Gallico explicatione, cuius ſummam, paucis mutatis & additis, hoc loco nos inſerere conſultum ducimus. Repræſentat iſta gemma *ſpecimen* FESTI ET SACRIFICII *in honorem* BACCHI *&* *eiusdem natiuitatis memoriam* inſtituti. Apparet autem *infans* BACCHVS, quem INO lactat, præcipua ipſius nutricum. Prope hanc altera conſidet nutrix, formoſa HIPPA, *Orphei* carmine celebrata. Proximus ille ſenex ATHAMAS eſt, aut SILENVS, aut certe FAVNVS quidam, qui ſacerdotis munere fungitur, tenetque ſuper ignem *pateram* vino plenam. *Seruulus* aliquis adducit *hircum* BACCHO immolandum, & vas amplum ſiue *ollam* affert. SATYRVS arbori adnixus, *cornu* inflat. NYMPHAE, quæ non minus ac Fauni, Satyri aliique Bacchantes in comitatum *Bacchi* leguntur, *corbes* ſiue *caniſtra* floribus & fructibus referta, capitibusque impoſita geſtant, eodem modo, quo Virgines Athenienſes quondam ſolebant in feſtis, *Canephoria* nuncupatis. Bini CVPIDINES expanſo ſuper medium velo adhærent, quemadmodum ab *Anacreonte*, & in variis monimentis antiquis *Baccho* familiares eſſe finguntur. Alteri eorum *vna ex Bacchantibus* exultans offert *cymbalum*, in Orgiis olim vſitatum inſtrumentum. APOLLO erectus *equo* (fortaſſis *Pegaſo*) adſtat eidemque *pateram* porrigit: Notum autem eſt, tam Græcos quam Aegyptios confudiſſe *Numen Apol-*

F *linis*

linis & *Bacchi*. *Duæ arbores*, quarum alteram *pampini* circumplectuntur, ſine dubio ſunt *Vlmi* aut *Populi*, ſuſtinendis Vitibus gratiſſimæ, *Plinii* teſtimonio. In inferiore ſegmento Gemmæ PISCATOR apparet, cuius ſignificationem, indeque ductam de antiquitate iſtius ſculpturæ conjecturam Commentatoris Galli, ſane nimium ſubtilem, infirmam & fere ridiculam, omnino piget huc transferre.

II. FESTVM, ſicuti videtur, NVPTIALE. Sub velo enim, inter duas arbores ſuſpenſo recumbunt, amantium more iocantes, *maritus nouus* & *ſponſa*, pone quam ſtant *parentes*, & *mater* inprimis, flammeo contectura nuptam. E regione *coronati* ſpectantur *tibicen*, & quidam alius, Hymenæum aut Thalaſſionem fortaſſe inclamans.

III. IV. V. BACCHANTIVM TVRBA petulantiſſima, e *Satyris* & *hominibus nudis*, *maribus* atque *fœminis* confuſa. Eorum nonnulli *vuas* manibus exprimunt, alii *cymbala* & *tympana* tractant, alii *tibias* & *cornua* inflant, *thyrſos* fibrant alii: omnes denique tanquam furore perciti, turpiſſimo varioque geſtu *exultantes*, inſana *Liberi patris* ſacra gnauiter ac ſtrenue obeunt; vt adeo tribus hiſce diſtinctis gemmis vnum plane continuum ſpectaculum exhiberi videatur, ad quod profecto belle quadrat *Ouidii* Lib. III. *Faſt.* deſcriptio.

Illic & cantant, quicquid didicere theatris
Et iactant faciles ad ſua verba manus.
Et ducunt poſito duras cratere choreas,
Cultaque diffuſis ſaltat amica choris.
Cum redeunt, titubant, & ſunt SPECTACVLA VVLGI
Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum pota trahebat anus.

VI.

Achat.

I.



Achat.

II.



Achat.

III.



Iaspis.

IV.



Lap. Nephrit.

V

Ι Α Ε Ν
Η Α Φ Ρ Ε Ν
ΔΝΗΥΝ ΗΕΙ
ΛΔΡΙΚΥΙ Φ Ι Λ
ΕΥΕΑ Ι Φ ΡΙ
Κ Ι Ρ Δ Λ Ι Ο Ο
ΝΙΩΥ ΟΝ ΕΝ
ΕΡΦΑΒΝ
ΕΑΙ

Iaspis.

VI.



VI. FAVNVS, *caprinæ pelli insidens*, & BARBAM CAPRAE VELLICANS; cuius inventionis rationem ex *Plinio* reddere satagit *L. Augustinus* I. 176. quod si nempe pastor capram barba prehendat, omnes alias consistere velut stupidas. *Pierius* inde format hieroglyphicum in symbolum timoris & animi victi: etsi in hac figura *Fauni* appareat potius typus lasciviæ.

TAB. VIII.

I. AVRORA, *per nubes vecta*, non quidem quadrigis, qualem finxit olim *Virgilius* Aen. VI.

Roseis aurora quadrigis
Iam medium æthereo currum traiecerat axem.

neque bigis, eidem alibi ab eodem poeta attributis:

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Sed vnico *currum* trahente *Pegaso*, quem Iupiter, post interitum Bellerophontis, in *Auroræ* vsum concessisse scribitur, propriumque hinc seorsim facit *in Alexandra Lycophron:*

Aurora montem Phagium aduolauerat
Velocis altum nuper alis Pegasi.

Præcurrit splendore eximio *Phosphorus* aut *Lucifer.* Ipsa vero *Aurora* manu dextra spargit rosas, facem tenet sinistra. Currui anterius insidet *gallus*, solers *Auroræ* in terris prænuncius. Cæterum ingeniosæ huius compositionis, adeoque & sculpturæ nostræ inuentorem prædicamus *Ioachimum de Sandrart*, l. c. p. 35. cuius ibidem proposita imago ad amussim fere similis nostræ gemmæ existit.

 II. LEO

II. LEO MITHRIACVS, *apem* ore tenens, ac ſeptem *ſtellis* cinctus, quarum vnaquæque diuerſis, partim obſcuris ac deprauatis *characteribus Græcis* circumſcribitur. Totum hoc *myſteriorum Abraxicorum ſpecimen* curioſe non minus quam fuſe dilucidauit *L. Auguſtinus* II. 34. & e *Io. Chifletii libro de Gemmis Baſilidianis* characterum iſtorum correctionem addidit. Cæterum iam pridem annotatum reliquit *Strabo* Lib. XV. *Solem* a Perſis appellatum fuiſſe MITHRAM.

III. ERIS, ſiue DISCORDIA, cum famoſo *pomo* ſuo, & *enſe* pectus transfixa, quemadmodum, Iouis nutu, in terram cœlo detruditur a duobus geniis, quorum alter ipſam *haſta* petit, alter *fulmine* percutit. Conformis gemmæ noſtræ imago extat apud laudatum *Ioach. de Sandrart* p. 143.


IV. NOMEN SALVTIFERVM, ramis oleæ coronatum; quale paſſim occurrit inter antiqua Chriſtianorum monumenta, recenſente inprimis *Paulo Aringhio* in Roma ſubterranea nouiſſima: ſimillimam autem præſenti figuram exhibet *Gorlæus* I. 184.

V. CHARACTERES MAGICI, ad eorum exemplar effícti, quos lapidi Lazuli inſculptos ſiſtit *Auguſtinus* II. 37. qui ad *Abraxæ arcana* illos pertinere oſtendit, tametſi nullum inde ſenſum expromere ſe poſſe fateatur; ſicut etiam nos ad hunc eruendum opus eſſe Oedipo arbitramur.

VI. MAGICVM pariter SIGNVM hæc gemma refert, literis Græcis ETEPOY inſignita, pro cuius explicatione nihil omnino afferre potuit aut voluit *Gronouius* in *Gorl.* I. 41.

TAB. IX.

TAB. IX.









EXhibet hæc gemma, ſane perpulchra, DEOS gentium præcipuos, ex habitu & ſignis ſuis facile dignoſcendos. Solus autem in ſolio reſidet IVPITER, quem cæteri circunſtant, & plerique, ſicut ipſe, ramos arborum ſuſtinent; cui aſpectui lucem affundit locus *Plinii* Lib. XII. cap. I. *Arborum genera Numinibus ſuis dicata perpetuo ſeruantur, vt* IOVI *eſculus,* APOLLINI *laurus,* MINERVAE *olea,* VENERI *myrtus,* HERCVLI *populus*, &c. Memorantur autem præterea longe plures arborum, Diis diuerſis ſacratæ ſpecies, de quibus omnino legi meretur *Benedictus Curtius Symphorianus*, in Libro V. Hortorum, tam raro quam erudito & eleganti opere.

QVam hæc gemma refert hiſtoriam, ſeu fabulam potius, eam, referente *Aldrovando* Dendrolog. Lib. I. p. m. 230. *Charon Lampſacenus*, ſequentem fere in modum expoſuit: *Quidam nomine* RHOECVS, *genere Cnidius, ſpecioſam quercum, rogatu* NYMPHAE, *illius eiusdem quercus* HAMADRYADIS, *ab imminente caſus periculo, aggeſta terra ſubtrahens, inde ſeruatam ob vitam a Nympha reportauit, vt, quicquid vellet, citiſſime acciperet*, &c. In præſenti quidem non tam aggerere terram arbori, quam fulcimentum applicare conſpicitur Rhœcus, binis, fortaſſe loci GENIIS adminiculantibus, Hamadryade coram ipſo ſupplicante, adſtantibus & veluti applaudentibus NYMPHIS pluribus, accumbente, tanquam ſpectatore, FLVVIO.

G TAB. X.

TAB. X.





FLORAM hæc gemma repræſentat, formoſæ Nymphæ habitu, in qua honoranda & ornanda plures aliæ occupatæ apparent NYMPHAE. Vna enim, procumbens in genua, *Floræ* manum deoſculari velle videtur: Altera, pariter ingeniculata, varios in qūaſillo flores offert. Accurrunt aliæ binæ (tametſi vnicam tantum expreſſerit oſcitans Chalcographus) quæ plenos apportant, capitibus impoſitos, florum calathos. Alia humi reclinata *pateram* tenet, veluti libatura vinum, cui amplius indicio eſt prope aſtans *amphora diota.* Cæterum *Floræ* aſſidet *puerulus* tibiam inflans; duæ autem *Nymphæ* ſaltantes certatim altera *triangulum* agitat, altera *tympanum* pulſat. Denique *duo* GENII, aut ſi mauis Zephyri fratres, deſuper aduolantes, coronare *Floram* contendunt.

TAB. XI.



PROSERPINAE RAPTVS delineatur hic, tametſi non admodum congruis mythologiæ circumſtantiis. Adeſt equidem, toruo vultu, raptor immanis PLVTO, ſceptrum ſuæ maieſtatis ſignum tenens. Adeſt pariter PROSERPINA, vel adiacet potius, exanimata quaſi, in currum proſtrata. Sed ipſius vehiculi aliena eſt conditio: Nusquam etenim legitur Pluto vectus *Draconibus*, quod Cereri, Proſerpinæ matri proprium adſcribit *Ouidius* Lib. V. Metamorph.

geminas Dea fertilis angues
Curribus admouit, frenisque coercuit iras.

Quis autem ſit ille *Ditis* galeatus comes, non facile dixerim: Habuiſſe enim illum rapinæ ſuæ ſocium aliquem, minime conſtat. Neque etiam claret, quid ſibi velit inſequens raptores enſe ſtricto HERCVLES, qui ſe iſti negotio immiſcuiſſe, nullibi (quod ego ſciam) memoratur. Quare ſculptor, fortaſſe non ſatis gnarus antiquæ fabulæ, quandam compoſitionis fallaciam commiſiſſe videtur. Cæterum *Plutonis* vertici cum lauro imminens VICTORIA, bonum eius factum, & a Ioue ratum habitum, ſine dubio indicat.

TAB. XII.





BACCHVS, ARIADNEN ducens, ampla, & adeo digna tanto Numine pompa. Ipſe enim circumuolutum pampino, an hedera? ſceptrum tenens, cum ſponſa ſua, mutuis amplexibus, eidem ſellæ inſidens geſtatur a decem miniſtris familiæ ſuæ, SILENIS, SATYRIS, FAVNIS, &c. Antegreditur vnus eiusmodi capripes (quem male cornutum glyptes effinxit, contra gemmæ fidem) ſpecioſo inſtructus thyrſo; comitatur NYMPHA ſiue BACCHA exultans & tympanum feriens. Agmen claudit alius, fiſtulas inflans SATYRVS, concomitante itidem NYMPHA, triangulum percutiente. Altius circumuolitant GENII, vnus quidem caniſtrum vuis plenum, duo alii cantharos aut amphoras ferentes.

TAB. XIII.





PRioris fabulæ conſpectus alius, quo non in ſella geſtatoria comparet cum ARIADNE BACCHVS, ſed curru vehitur a duobus CENTAVRIS; quorum alter Citharam aut Lyram tractat, alter tibias inflat. Currum proxime SILENVS inſequitur, effuſum a *Libero* merum poculo excipiens. Ipſe autem *Bacchus*, vite aut hedera coronatus, vino languidus, per imminentem a tergo CVPIDINEM flabello ſuſcitatur; quod idem anterius *Ariadne*, ſimiliter coronata, tentat, ſimul vero ex ſmilace vinculum abblandiens circumducit, & vmbella ſtudioſe defendit marcentem. Præcedunt ſaltantes, SILENVS cum thyrſo & pelle, BACCHA cum tympano, FAVNVS tibicen, & SATYRVS turpiter mentulatus, cantharum alte ſublatum proiecturus in terram.

TAB. XIV.




BACCHANTIVM insana cohors, circa Templum Liberi Patris sui oberrans & grassans. Pone CROTALISTRIVM incedit PORCVS, tanquam dignissimus agminis vniuersi ductor. Insequitur CAPER prægrandis, super puerum humi prostratum saliens, cui ita fugienti puer alius imponere alium gestit. In medio cœtu quidam insidet LEONI, huiusque, vtut indignantis, caudam manu prehensam vellicat. Reliqua turba, ex vtroque sexu, diuersa ætate, nudis & furentibus personis promiscua & confusa, pro more execrandorum istorum BACCHI SACRORVM, alii thyrsum & canistrum gerunt, alii tibiis cantant. Infimo gemmæ loco puerorum eiusdem generis lasciuientium, iisdemque veluti sacris initiatorum spectatur series, & quoddam quasi proludium.

TAB. XV.



IPHIGENIAE SACRIFICIVM hæc gemma refert, non quidem illud, quo infelix *Agamemnonis* ea *filia* ex voto paterno immolanda erat in Aulide, ſed aliud, DIANAE TAVRICAE nuncupatum, cuius ſacerdotio ipſa *Iphigenia* virgo præerat. Et ſane *Templum*, *Ara coronata*, *impoſitus ignis*, luculenta ſacrorum adſunt indicia. Hominum præterea togatorum confluxus celebritatem loci feſtique ſanctitatem amplius declarat. Quem autem laxata, mulier, tunica ad altare ducit PVERVM *nudum*, ipſe ſacrificio dicatus apparet, non mactandus quidem, ſed *loris* ſaltem *cædendus* : Illo enim crudeliſſimo ritu apud Lacedæmonios abrogato, deuentum eſt ad plagas, quarum vi elicientes e puerorum corporibus ſanguinem, aſperſione huius expiare *Numen Dianæ* ſategerunt. Videtur autem aræ proxima SACERDOS VIRGO ſtatuam Deæ, paruam & levem, panniculo inuolutam igni admouere, ſuffimenti percipiendi cauſa Pone ipſam vero conſpiciendus *ſenex* attollit quippiam manu, quod *lorum* eſſe ſuſpicor, cædendo puero deſtinatum. Aduolat VICTORIA placatum iam Numen, facto facrificio, & deuictam ipſius iram denuncians. Plura de iſtis Sacris collegit *Natalis Comes* Lib. I. cap. 18.

TAB. XVI.





ALiud hic depingitur DIANAE SACRIFICIVM, priore multo dirius, vtpote non qualicunque humani cruoris effusione, ſed ipſa cæde factitatum. Erat enim quondam apud Achæos *Templum*, DIANAE TRICLARIAE dedicatum, in quo, propter cauſam a *Pauſania* Lib. VII. cap. XIX. latius expoſitam, quotannis *virgo* & *puer*, aliis forma præſtantiores immolabantur. Et in præſenti quidem gemma VIRGO conſpicitur, in genua prouoluta, tangens *aram*, ſacro fumantem *thure*, quod aſtans EPHEBVS in patera porrigere videtur. SACERDOS autem, aſpectu plane terribilis & truculentus, in *puellæ* inſontis, apprehenſum manu ſiniſtra *caput*, altera ſublatum ſtringit *malleum*. Proximus *virgini*, fortaſſe PATER, admodum lamentabili vultu & geſtu caſum filiæ deplorat; qualem animi dolorem etiam reliqui præſentes *viri ſenes* aperte ſignificant.

TAB. XVII.



PARIDIS IVDICIVM, carminibus Poetarum toties decantatum, fabulisque tritum, in quo licet intueri TRES DEAS illas, quæ de *pomo Eridis aureo*, formæ præstantia obtinendo, inter se certarunt. Spectantur autem *nudæ*, quemadmodum inuerecundus iste & agrestis arbiter præceperat. Ipse residet sub arbore, pedo nixus, *Deæ* adstant, & IVNO quidem, *pauone* suo comitata, eo gestu, quasi spretæ iniuriam formæ vlcisci se velle extensa manu minitaretur. VENVS contra blandiens accipit a iudice POMVM, congratulante matri CVPIDINE. Ast MINERVA, paulisper regressa, vestem recipit, tanquam admonita verbis *Paridis*, a *Luciano in Dial. de iudic. Dearum*, consignatis: *indue te iam Minerua, galeamque impone, satis enim te inspexi.* Opportune vero *Dea* tam rustico & iniquo iudici tergum obvertit, natesque merenti ostendit. Alium eiusdem iudicii conspectum exhibet gemma varia in *Thes. Brandenb.* part. I. pag. 43.

TAB. XVIII.





VVLCANVS, *armis Aeneæ fabricandis occupatus*, quem ipſe laborem ſuſcepit inuitatus *Veneris* ſuæ precibus, a *Virgilio Lib. VIII. Aeneid.* eleganter & prolixe recitatis: Ille his obtemperans,

multa vi brachia tollit,
In numerum, verſatque tenaci forcipe maſſam.

Aſſidet ab vna parte VENVS, cui pone adſtat MERCVRIVS, caduceum attollens, & AENEAS, dona diuæ matris auide expectans. In altero autem latere MARS collocatus eſt, cum *alia perſona*, quam chalcographus male ex ingenio ſuo *Neptunum* effinxit coronatum, & abſurdius adhuc bidente inſtructum: Plane vero nihil eorum apparet in ipſa gemma, ſed *Marti proximus vir*, (quisquis etiam ille ſit) nudus conſpicitur, ſicut etiam alter ille, quem modo *Aeneam* eſſe cenſui, non galeato ſed nudo capite. Cæterum in gemma quoque deſunt *Veneris columbæ;* CVPIDO autem adeſt, *Marti* alludens, qui ferreo inſidet thoraci & clypeo.

TAB. XIX.

Chalcedonius.



ZALEVCVS, vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cum FILIVS eius adulterii crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum, *vtroque oculo carere* deberet, ac tota ciuitas, in honorem patris, pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: Ad vltimum, precibus populi euictus, *suo prius, deinde filii oculo eruto*, vsum videndi vtrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. Tali sermone vniversam gloriosi facinoris illius historiam, quam adeo eleganter repræsentat gemma nostra, complectitur *Valerius Maximus* Lib. VI. cap. 5. quocum conferri poterit *Aelianus* Lib. XIII. cap. 24.

Chalcedonius. TAB. XX. Chalcedonius
Rubinis et Smaragdis cinctus. Rubinis et Smaragdis cinctus.





ROMANI IMPERII, quanta olim fuerit, *maieſtas et amplitudo*, duabus hisce gemmis, ſane prægrandibus ac perpulchris denotatur: Et in priori quidem, prout latiſſime illud patuit *Orientem verſus*, glorioſum præbet ſignum *perſona muliebris*, in CVRRV SOLIS inſiſtens, manu læua *palmam*, dextra *globum* ſuſtinens, atque ſimul *equos* habenis moderans, quorum nomina *Ouidius Metamorph. Lib. II.* recenſuit:

Interea volucres Pyrrois, Eous & Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Prælucet ardente face, velo expanſo PHOSPHORVS; quadrigis autem ſubiacet *fluuii* cuiusdam imago, fortaſſe ORONTIS.

In altera gemma eiusdem *Imperii verſus Occidentem* ſplendidus apparet typus, *in* CVRRV LVNAE *bigato*, qualis ipſi ab antiquo eſt attributus, perinde vt *quadrigæ Soli* ſunt adſcriptæ, iuxta *Manilium* Aſtronom. Lib. V.

Quadriiugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Videntur autem rapido curſu, pronis capitibus, velut in Oceanum præcipitari, HESPERO imminente partimque frena dirigente. Subiacens *auerſus fluuius*, *Tagum* forte, aut RHODANVM potius deſignat, vtpote plurimum ab Oronte diſtantem. Cæterum iſtam *Imperii Romani amplitudinem* artificioſo inprimis carmine celebravit *Claudianus in Sec. Conſ. Stilichonis*, vnde fragmenta quædam iuuabit traducere.

Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a ſede profectas
DISPERSIT CVM SOLE MANVS, — —.
Huius pacificis debemus moribus, omnes
Quod bibimus paſſim RHODANVM, potamus ORONTEM.
Quod cuncti gens vna ſumus. nec terminus vnquam
Romanæ ditionis erit.

TAB. XXI.

Sardonyx.



VIx vlla interpretatione indiget hæc gemma, quæ RAPTVM SABINARVM VIRGINVM, inſtinctu Romuli perpetratum, adeo aperte & luculenter ante oculos ſtatuit, quaſi viuis depicta coloribus res ipſa loqueretur. Sane iurares te videre, quemadmodum *Liuio* Lib. I. cap. 9. narrante, ex compoſito ſit orta vis, ſignoque dato *iuuentus Romana* ad rapiendas *virgines* diſcurrat; quomodo magna pars, vt in quem quæque inciderat, ſint raptæ. Dubitares omnino, vtrum maior in *raptoribus* audacia & auiditas, an vehementior in *raptis* animorum dolor ac perturbatio appareat? dum ex his aliæ deſperatam capeſſunt fugam, aliæ ſupplices in terram ſe coniiciunt, aliæ omnibus adhibitis viribus amplexui *captatorum* reſiſtunt, quædam denique ſublatis ad cœlum manibus rapinæ violentiam, aſpectu plane miſerabili, ſed fruſtra, deprecantur.

TAB. XXII.






PRæcipuam fatorum FAMILIAE HORATIANAE partem hic graphice depictam cernis; PATREM nempe coram *Tullo Rege* ſupplicantem cum FILIO. Hic debellatis Curiatiis, partoque adeo Romanis in Albanos Imperio, glorioſus victor vrbem ingreſſurus, ſororem obuiam factam, & vnius ex hoſtibus, ſibi antea deſponſati interitum importune lugentem, indignabundus trucidauerat, propterea que mox afficiendus erat ſupplicio. Non tulit hoc afflictus *parens*, ſed graui oratione, quam *Liuius* cum vniverſa hiſtoria Lib. I. cap. 27. recenſuit, necem *filii* deprecatus eſt. Procumbentes igitur vides, lamentabili facie, *P. Horatium* patrem eiusque filium ſuperſtitem vnicum, colligatis iam manibus, ante Regis ſolium, pone quod adſtat *lictor cum faſcibus*. Aſſident ab altero latere modo creati forſitan *Duumviri perduellionis*, aut *capitales* dicti. Supplicantium tergo imminet *haſtatus cum clypeo miles.*

AVdaciſſimum C. MVCII propoſitum, de PORSENA *Etruſcorum Rege* obtruncando, iam ſupra ad *Tab. III. fig. 63.* commemoratum fuit. Iam eadem, ſed ampliore apparatu, denuo repræſentatur hiſtoria, cuius hanc ſummam percipe. Poſteaquam *Mucius*, loco Regis, alium hominem, quem *Liuius* Lib. II. cap. 12. ſcribam fuiſſe tradit, interfeciſſet, rex *ignes* circumdari minitabundus iusſit, niſi ille captiuus expromeret propere, quas inſidiarum ſibi minas per ambages iaceret. *Mucius* contra, *En tibi*, inquit, *vt ſentias, quam vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam vident*, dextramque *accenſo ad ſacrificium foculo* iniicit; quam quum velut alienato ab ſenſu torreret animo, prope attonitus miraculo *rex*, quum ab ſede ſua proſiluiſſet, amouerique ab altaribus iuuenem iuſſiſſet: *Tu vero abi*, inquit, *in te magis quam in me hoſtilia auſus, iuberem macte virtute eſſe, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret, nunc iure belli liberum te, intactum inviolatumque hinc demitto.* Cæterum iſte *Mucius*, poſt tam glorioſum facinus, a clade dextræ manus cognomentum SCAEVOLAE reportauit.

TAB. XXIII.



INter illustriora *continentiæ* exempla nulli secundum est illud P. SCIPIONIS AFRICANI, a *Valerio Maximo Lib. IV. cap. III.* laudatum : Is cum in Hispania, Carthagine oppressa, multos obsides, quos in ea vrbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, *eximiæ* inter eos *formæ virginem*, ætatis adultæ, & iuuenis, & celebs, & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque generis eius *Indibili* desponsam, accersitis parentibus, & sponso inuiolatam tradidit. Aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit. Qua continentia & munificentia *Indibilis* obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiam debitam retulit. Optime autem ad ipsam hanc *historiam* quadrat *gemmæ nostræ* typus. Videlicet ante solium *Scipionis*, inclinato sceptro suam clementiam significantis, supplicantur obses *virgo* huiusque *sponsus* : adiacens virgini *agnus*, fortasse innocentiam ipsius, aut benignitatem *Scipionis* indicat. *Parentes*, tanquam pleni venerationis erga humanum adeo victorem, stant pone supplicantes, *multitudine militum* præsente & factum tam præclarum admirante.

TAB. XXIV.





POMPEII MAGNI perfidus interfector, *Achillas*, DETRVNCATVM illius CAPVT in lance oſtentans, Tab. III. fig. 59. iam eſt expoſitus. Nunc denuo ſiſtitur idem fere ſpectaculum, quando, iuſſu Ptolomæi Regis, aduentanti in Ægyptum CAESARI *caput Pompeii* offert *Theodotus rhetor*, quem quidem, vti ſceleſtum auerſatus eſſe *Cæſar*, lacrymasque ob interitum tanti viri & quondam generi ſui profudiſſe fertur ab *Ammiano*, *Val. Maximo* & *Plutarcho*; tametſi neutiquam ſincerum, ſed ſimulatum fuiſſe mœrorem illum arbitretur *Lucanus Belli Ciuil. Lib. IX.*

— — — — Sic fatus (Theodotus) *opertum*
Detexit, tenuitque caput. iam languida morte
Effigies habitum noti mutauerat oris.
Non primo Cæſar damnauit munera viſu,
Auertitque oculos: vultus, dum crederet, hæſit:
Vtque fidem vidit ſceleris, tutumque putauit
Iam bonus eſſe ſocer; lacrymas non ſponte cadentes
Effudit, gemitusque expreſſit pectore læto.

Ediſſerit autem deinceps idem Poeta, quomodo nihilominus *Cæſar* offerentem increpauerit:

Aufer ab aſpectu noſtro funeſta ſatelles
Regis dona tui: peius de Cæſare veſtrum
Quam de Pompeio meruit ſcelus, vnica belli
Præmia ciuilis, victis donare ſalutem
Perdidimus.

Cæterum eandem hiſtoriam, in achate artificioſiſſime exciſo, figuris tamen a noſtratibus haud parum diuerſis, exhibet *Theſaurus Brandenb.* part. I. pag. 220.

TAB. XXV.



QVem modo vidimus abſciſſi capitis Pompeiani ſpectatorem, C. IVLIVM CAESAREM, ipſum iam *morte violenta pereuntem* cernimus. Tragœdiæ notiſſimæ ſummam ex *Plutarcho* liceat repetere. *Coniurati gladium vnusquisque ſtrinxerunt. Ita Cæſar circulo armatorum incluſus, & quocunque faciem conuerterat, ictibus occurrens in ferrumque offendens vultui oculisque intentatum, feræ inſtar inter manus omnium ſeſe obuerſauit: omnes enim oportuit participes cædis eius fieri, ideoque vnum etiam vulnus ad inguen ei Brutus impoſuit. Perhibent Cæſarem, cum reluctatus aduerſus cæteros eſſet, vociferansque corpus hinc inde iactaſſet, vt viderit Brutum gladium nudaſſe, toga caput obnubiſſe*, &c. Aſt in præſenti ſchemate, vitio chalcographi, *toga* omnino deſtituitur *Cæſar*, qua tamen caput obuoluiſſe, præter *Plutarchum* etiam *Suetonius* diſerte tradidit, idemque gemma noſtra luculenter repræſentat. Similiter hallucinatus eſt glyptes, quando *galeatum* finxit Cæſarem, quem gemma clariſſime oſtendit *coronatum laurea*, cuius perpetuo geſtandæ ius eo libentius a Senatu receperat, quo ſtudioſius caluitii deformitatem beneficio illius occultare nitebatur.

TAB . XXVI .





GEMMAE AVGVSTEAE, ſingulari commentario a Perilluſtri *Cupero* explicatæ, pulcherrimum exemplar hic apparet, CVRRVM referens TRIVMPHALEM, a binis CENTAVRIS tractum, quorum alter *militarem thoracem & clypeum* ſuſtinet, alter eleuata manu digitisque extenſis VICTORIAM monſtrat, *cum laurea* ſuperne aduolantem. In medio curru ſedet AVGVSTVS capite laureato, *fulmen* in manu gerens, eoque ipſo *Iouem fulminantem* repræſentans: Altera manu amplectitur aſſidentem, *Iunonis habitu*, LIVIAM ſuam. Pone *Auguſtum* collocata eſt ſoror ipſius OCTAVIA, vti quidem Clar. *Grauius* exiſtimauit, tametſi laudatus *Cuperus* IVLIAM magis eſſe ſuſpicetur; quemadmodum etiam *puer*, ante *Auguſti* pedes conſidens, baculumque aut ſceptrum tenens, *galeatus*, *Martis iuuenis* forma, non MARCELLVM, ſed TIBERIVM indicare eidem videtur. Cæterum adiacet currui CANTHARVS, bibacitatem fortaſſe arguens *Centaurorum*, qui ambo, ſublatis pedibus, quaſi mox conculcaturi ſunt proſtratos ante ſe *Auguſti hoſtes*.

TAB. XXVII.



ALterius GEMMAE AVGVSTEAE ſpecimen hoc eſt, illius nempe celeberrimæ, quam olim *Philippus pulcher*, ab Hieroſolymitanis Equitibus acceptum, Monialibus Piſſiaci legauerat, poſtea vero per bella ciuilia furto ſublatum mercatores quidam detulerunt in Germaniam, & *Rudolpho II.* diuenderunt duodecim millibus aureorum. Exhibet vero APOTHEOSIN VIVENTIS AVGVSTI, qui in ſella conſpicitur ſeminudus, dextra manu *ſceptrum*, ſiniſtra *lituum* tenens, pedibus *clypeo* impoſitis, *aquila* adſtante. ROMA DEA, *Auguſto* aſſidens, *Liuiam* referre videtur, galeamque, haſtam, clypeum & parazonium habet. Inter ipſius & *Auguſti* frontem imminet in orbiculo CAPRICORNVS, horoſcopum Caeſaris deſignans. A tergo *Auguſti* matrona turrito diademate & velo tecta, CYBELE videlicet, vna cum NEPTVNO *Auguſtum* laureo ſerto coronat. Illis adiacet AGRIPPINA *Germanici*, cum *cornu copiæ*, & *puerulis nudis* ſtipatur. Ab altera ſellæ Auguſteæ parte ſtat CAESAR GERMANICVS, paludatus accinctusque, pone quem *in curru triumphali* conſiſtit TIBERIVS laureatus, moderante habenas VICTORIA. In ſegmento gemmæ inferiore *milites Romani* TROPAEVM ſtatuunt de *Dalmatis* & *Pannoniis* : *Clypeus* autem *tropæo* aptatus *inſigne ſcorpii* præfert. Tantillum licuit per chartæ anguſtiam apponere, ex *Alberti Rubenii* ſententia, pro figuris *gemmæ noſtræ* explicandis. Reliqua plura legi poſſunt in peculiari illius de eadem *gemma* diſſertatione, quam & Clar. *Græuius* Tomo XI. *Theſ. Antiqu. Rom.* inſeruit.





VT magnitudine, sic artificio & numero imaginum, antecedentem *Augusteam Gemmam* non parum superat ACHATES ille TIBERIANVS, qui parem in orbe terrarum vix habere creditur; cuius explicationem, post *Peireskium*, *Tristanum*, *Rubenium*, singulari libro *Iac. le Roy S. R. I. Liber Baro* dedit, cuiusque *ectypum* chalcedonio elegantissime insculptum nos hic proponimus, breuiterque indicamus, quod ipsa gemma repræsentet D. AVGVSTI APOTHEOSIN, IMP. CAES. TIBERII, AVGVSTAEQVE DOMVS IVLIAE *seriem & iconas, gentesque bello captas.* Minime autem patitur angustum huius chartæ spacium, vt omnes atque singulas personas, earumque signa & habitum seorsim edisseramus: Quare pro notitia vberiore *Lectorem beneuolum* remittimus ad laudatam *D. le Roy explicationem*, Amstelodami Anno MDCLXXXIII, editam.

TAB. XXIX.





SERGII GALBAE, *Imperatoris Roman.* INTERITVS hic depingitur, quamuis non admodum congruentibus hiſtoriæ conditionibus. Ipſum etenim, LXXIII. annorum ætate & articulorum morbis languentem, lectica aut ſella geſtatum, adeoque non ſtantem, ab Ottoniana factione interemptum narrant *C. Tacitus* & *Plutarchus*, qui etiam perinde vt *Suetonius* thorace lineo indutum, & propterea non in pectore, ſed in iugulo, brachiis & pedibus vulneratum perhibent. Trucidandum, ne forte reſiſteret, *iniectis a tergo manibus continere miles* cernitur in gemma noſtra, tametſi e laudatis ſcriptoribus conſtet, *quod vltro percuſſoribus obtulerit iugulum, hortatusque fuerit, vt hoc agerent, ac ferirent, ſi quando ita videretur eſſe ex re populi Romani.*

TAB. XXX.

Chalcedonius
Topasiis cinctus.



VLtima quidem in ordine est hæc gemma, formæ tamen amplitudine & artificio nulli secunda, TITI VESPASIANI TRIVMPHVM DE IVDAEA CAPTA pulchre exprimens. Ac solus quidem in CVRRV apparet *Titus*, tametsi cum *patre, Flauio Vespasiano*, communem habuisse illum *triumphum* nonnulli autores scribant. Eminet prope *Cæsarem* VICTORIA, *coronam lauream* capiti eius impositura. *Currum* trahunt *quatuor equi*, monilibus, antilenisue lunatis, ex auro ac gemmis, splendide ornati, quibus a dextro latere adest, frenaque tenet *persona muliebris*, alte præcincta, galeata & hastata, ROMAM sine dubio significans. Antecedit, & comitatur *Cæsarem*, *multitudo virorum togatorum*, laureatorum & ouantium, quorum aliqui *fasces* præferunt. Cæterum vniuersam istius *triumphi* pompam & magnificentiam prolixe descripsit *Iosephus* Lib. VII. *de bello Iud.* cap. XXIII.

INDEX RERVM.

Numerus Romanus Tabulam, alter Figuram gemmarum designat.

S Demo-

Mon-

EMENDANDA ET ADDENDA QVAEDAM.

Pag. 2. lin. 10. leg. nigro.

Pag. 8. lin. 27. add. Dissentit equidem *Anton. Augustinus* antiqu. Rom. Dial. II. p. 18. & per istam *trifolii figuram* mauult designari *primum germen*, quod iacto grani semine existit, cuius adhuc *spes in gramine esse* veteri verbo dicitur. Ast in contrarium *Bened. Balduinus* de calceis antiqu. p. m. 286. vbique *Lilium* pro spei symbolo positum censet: quamuis commentator ipsius Io. Fred. Nilant bene moneat, dari vtique nummos veteres, quorum alii referant *lilium*, alii *figuram trifolii*; nec quicquam causae esse, cur non eadem res vtroque modo satis commode adumbrari possit.

Pag. 11. lin. 19. leg. L. QVINTIVS CINCINNATVS.

Caeterum, quoniam pag. 44. *Achatis Tiberiani* explicationem, propter chartae angustiam haud licuit apponere, illam e citato libro *Dn. le Roy* strictim hic subiungere placet. In supremo loco AVGVSTVS *capite velato cum corona radiata* & *sceptro* eminet: Huius sinistro lateri se applicat C. IVLIVS CAESAR, laureatus, *clypeum* attollens. A dextris *equo alato* insidens aduolat DRVSVS GERMANICVS, ducente frenis equum *Cupidine*. ROMA autem DEA *Augusto* accumbens *orbem* pedibus equi submittit. In medio TIBERIVS residet laureatus, *Aegide* indutus, cum *sceptro* & *lituo*. Ipsi assidet in eodem solio mater LIVIA, pariter laureata, tunicata, *papauer* laeua manu tenens. Retro post *Liuiam* adstat DRVSVS IVNIOR, *Tiberii Aug.* filius, *tropaeum* ferens, alteramque manum versus *Augustum* extendens. Assidet *Druso* LIVILLA vxor eius. Laeuum *Tiberii* latus occupat ANTONIA, *Aug. Drusi* coniux, CAESARIS GERMANICI mater, quem ipsa armatum & per caput suum iurantem amplectitur. Pone *Germanicum* sedet vxor eius AGRIPPINA, volumen manu tenens, adstante puero CALIGVLA. Ante sellam Augg. procumbit CAPTIVVS aliquis, *Armeniam* fortasse deuictam significans; & in segmento Gemmae infimo TVRBA CAPTIVORVM, eiusdem sine dubio gentis apparet.

FINIS.

Le 1er vol
complet ds 30 planches
Le 2e vol
complet ds 17 planch.

fiché voir BAIERUS

Coll. Cairngh. [illegible] Cunningham.